10

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PHTHISI PULMONALI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS CURRIE,

BRITANNUS.

K

Ad diem 12 Septembris, hora locoque ſolitis.

———*Hæret lateri lethalis arundo.* VIRG.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, D CC, LXX.

BRITISH MUSEUM

VIRO GENEROSO

EX NOBILI DOMO ANNANDIÆ
ORIUNDO,

GULIELMO PULTNEY

DE SOLWAY BANK,

ARMIGERO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C. Q.

GULIELMUS CURRIE.

VIRO GENEROSO

HONORIBUS DOMO ANNANDIA
ORIUNDO,

GULIELMO PULTNEY

DE BOLWAY BANK,

ARMIGERO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C.

GULIELMUS CULLEN.

DISPUTATIO MEDICA

DE

PHTHISI PULMONALI.

DEFINITIO.

PHTHISIS pulmonalis est corporis, cum lenta febre, interdiu exacerbari solente, tabes; ad quae tussis, spiritus difficilis, et plerumque materiae pus referentis sputum, accedunt.

FACIES MORBI.

EANDEM tussis sicca, initio lenior, et minus irritans, longis et incertis temporis intervallis repetens, et praecipue noctu molesta, aliquamdiu praecedit. Quam

poſt cibum aſſumptum vomitus, vox rauca aut clangoſa, oculorum inſignis nitor, et infra eoſdem color caeruleus, ponderis circa pectus prementis ſenſus, ſpiritus quodammodo difficilis et anguſtus, et praecipue poſt motum moleſtus, comitantur. Interdum et ſanguinis ſputum ſuperadditur, interque ſpuendum ſalſus in ore ſapor ſentitur. Saepeque fit, ut in alterutrum latus tantummodo decumbi queat. Quos affectus mox animus irritabilis, cogitabundus, et moeſtus * ſequitur.

PRIMO quoque tempore febris levis eſt; utpote in qua aliquid praeter naturam caloris, praeſertim in cavis manibus pedibuſque cibi faſtidium, ſitis aliquantum, pulſus arteriarum juſto celeriores, urina colorata et craſſa quaedam ad imum vas dejiciens, ineſſe cernantur.

ATQUE in hoc ſtatu plurimos ſaepe dies immo menſes totos, ſine ſputo in definitione

* Vide Morton phthiſiolog. p. 104.

definitione relato, permanetur. Sputum citius aut ſerius tamen incidens, copioſum, aliquando crudum, viſcidum ut in catarrho, extremis temporibus purulentum et male olens, et nonnunquam ſanguine diſtinctum, rejicitur. Lingua perquam nitida muco naturali non obducitur.

Cum his febris hectica, primum ita nullo ordine accedit, ut ejuſdem diei ſpatio ſaepius repetat. Eadem deinde magis ad normam bis die accedit et remittit. Prima acceſſio meridie aut paulo poſt hunc incidens, aliquot horas cum magno calore, ſiti, inquietudine, pulſibus citis et validis, vomitu, ſpirandi difficultate, aſſidua et vehemente tuſſi, vigilia, genarum inſigni rubore, caetero vultu inſigniter palleſcente, et aliquando delirio, perſtat. Quae in largum demum et colliquentem ſudorem terminatur: Simul pulſuum cum robore celeritas imminuitur, et caetera febrilia omnia remittunt. Sine labore ſpiratur, libere exſpuitur, et in ſomnum placidum

placidum cum laeta ſalutis ſpe componitur.

Jamque tabes, principio vix conſpicua, rapide progreditur; ita aut paucis diebus vultum Hippocraticum aſſumat. Jam alvus, quae toto morbi curſu magis aut minus liquida fuerat, profunditur, jam ſputum definit. Et plerumque ante mortem vix ulla febris remiſſio percipi poteſt. Delirium noctu cum faucium ardore et devorandi difficultate miſeros fatigant, os aphthae obſident. Crura tument, incurvantur ungues, decidunt pili. Omnes actiones languent, ſigna ſuffocationis prodeunt, morſque hominem rapit.

DISCRIMINA MORBI.

Provecta phthiſis, cum jam febris hectica et puris ſputum inciderint, ab omnibus aliis morbis facilis dijudicatu eſt.

Eadem incipiens, a catarrho ſolo omnium morborum difficillime diſtinguitur.

Quam

Quam tamen, tuſſis ſicca, nullo mucu rejecto, decubitus in alterutrum tantummodo latus, poſt cibos aſſumptos vomitus, item labes hereditaria, aut aliae conditiones periculo phthiſis objicientes, poſtremo malum remediis catarrhalibus parum cedens, phthiſin incipientem eſſe, indicabunt.

CAUSA PROXIMA.

PULMONUM ulcera difficilius, quam aliarum partium, conglutinari, propterea quod illi aſſidue motentur, eoſdemque aer aſſidue contingat, apud medicos opinio valuit.

CUJUS opinionis quod ad priorem partem attinet, ſolitus ſpirandi motus nihil violentiae habet, faciliſque imprimis et lenis eſt. Adeoque pulmonalia ulcera, poſt vim externam aut vulnera inflicta, promptiſſime conglutinari plurima argumenta ſunt; ut ideo nihil in pulmonum motu

motu ulcerum ſanationi obſtare dicendum ſit.

Ejusdem opinionis poſterior pars, a malis ulcerum, in ſummo corpore aeri objectorum, eventibus tracta eſt.

Verum pulmones, neque frigido aeri, neque exhalationi ſiccae, quibus ſummum corpus, objiciuntur; ſiquidem et tractus aer protinus ad temperiem intus caleſcit, et bronchiae perpetuo muco, qui ab aeris alioquin noxis eas defendit, oblinuntur.

Si igitur neque motus pulmonum, neque aeris aditus, conglutinari ulcera prohibent, alia ejus rei origo requirenda eſt.

Incisis phthiſi peremptorum plurimis cadaveribus, tubercula, toto pulmonum corpore diſperſa, ſunt reperta. Quorum tuberculorum cauſa, cum ſcrophuloſi toties phthiſi prae caeteris hominibus implicentur, ita ſcrophuſola glandularum pulmonum lymphaticarum labes exiſtimata eſt. Quam ut ſaepe ſubeſſe cauſam, dubium

dubium non eſt, ita ſemper, neutiquam veriſimile eſt. Nam ab omni ſcrophulae ſuſpicione prorſus liberi, duntaxat poſt haemoptoen, catarrhum, aut inflammationis thoracis vitia, in phthiſin inciderunt. Praeterque hoc, tuberculorum in pulmonibus numerus glandularum conglobatarum numerum longe excedere videtur.

Ergo, ut tubercula pro cauſa noſtri morbi agnoſcimus, ita praeter ea quae in ſcrophuloſis habitibus a vitio glandularum lymphaticarum oriuntur, alia et diverſae originis eſſe, contendimus. Quarum in originem ut paucis inquiratur:

Ætas phthiſica ab anno decimo octavo ad trigeſimum quintum eſt. Hoc tempore ſanguis, id quod haemoptoe huic aetati prae caeteris familiaris et prope propria oſtendit, ad thoracem prae caeteris locis abundantior irruit. Utque is impetus rubrum ſanguinem in bronchias effundit, ita ſi ad hoc praeſtandum deficit, et intra rubram effuſionem ſubſiſtit,

poteſt

poteſt tamen humorem, in pus parum mutabilem, in celluloſum pulmonum corpus ſuffundere: Qui rurſus humor duritiem in tuberculis cerni ſolitam ſtagnando aſſumere poteſt.

QUIBUS rebus perſpectis, phthiſin in tuberculis conſiſtere, et haec in ſuppurationem euntia, ac demum exulcerantia, cauſam illius proximam efficere, nobis veriſimile eſt.

CAUSÆ REMOTÆ.

E cauſis remotis, quae pro feminiis, ſeu conditionibus periculo morbi objicientibus, habendae ſunt, hae fere ſunt: Longa cervix, thorax compreſſus et anguſtus, cutis nitida et tralucens, roſeus amabilis color, fibrarum muſculoſarum conformatio tenera, ingenii forſitan acumen, magna nervorum ſenſibilitas, proſtremo hereditaria quaſi ſeu naſcendi ſorte labes.

QUAE

Quae magis pro occaſionibus morbi ſeu poteſtatibus nocentibus judicandae videntur, ſunt inflammatio, haemoptoe, et catarrhus.

De quibus utriſque ſuo ordine verba faciam.

Quod ad priores attinet, cervix longa, thorax anguſtus et compreſſus, quatenus pulmones ſatis expandi prohibent, ſanguinis per hos tranſitum impedient, eundemque, quoties alioquin ſolito abundantius ad pulmones adfluit, eodem congerent, cumulabunt, et ſic in celluloſum pulmonum corpus effuſionem, quam frequentem tuberculorum cauſam dictum eſt, efficient.

Porro, cutis nitida et tralucens, et amabilis roſeus color, ut et tenera fibrarum muſculoſarum compages, ad ſcrophuloſum habitum pertinere magis ducuntur. Quae labes ſcrophuloſa in lymphaticas pulmonum glandulas, ſimili ratione, ac in aliis corporis locis, agens, tubercula gignit.

Vel idem hic tener et delicatus corporis habitus cum habitu haemorrhagico et conjungi poteſt, et revera ſaepe conjungitur. Quod ubi fit, humoribus diſtendentibus vaſa tenera facile cedent, eique effuſioni, quam alteram tuberculorum eſſe originem dictum eſt, viam facient.

Ab eodem habitu delicato et tenero, ſeu, ut Gaubianis verbis utar *, "delicata ſolidae compagis teneritate," illud ingenii acumen et nervorum ſenſibilitas, quae phthiſeos periculum inferre dicuntur, pendere quoque videntur.

Postremo, labes hereditaria, ſeu ſorte naſcendi proveniens, in corporis conformatione, de qua ſupra eſt relatum, vel in habitu ſcrophuloſo a parentibus ad liberos tranſmiſſo, vel in haemorrhagico denique, conſiſtunt. Jamque, ut ad poſteriorem cauſarum ſeriem, ſcilicet poteſtatum magis nocentium, tranſeatur:

INFLAM-

* Vide inſtitut. patholog. p. 194.

INFLAMMATIO

PULMONUM, quae prima eſt, ubi prius tubercula extiterunt, eorum ſuppurationem faciendo, phthiſin vulgo excitat. Verum inflammatio non ſolum quae prius fuerunt tubercula ſuppurat, et ſic morbum facit, ſed tubercula quoque gignit. Nam humor, poſt inflammationem effuſus, non ſemper ſuppuratricis naturae eſt. Inciſis peripneumonia mortuorum cadaveribus, ruber ſanguis in corpus pulmonum celluloſum exiiſſe, et mortem intuliſſe, repertus eſt. Quae effuſio minor, ut dictum eſt, eſſe, et tubercula facere, poteſt. Quo forſan fit, ut toties phthiſis phlegmaſiam pneumonicam ſequatur.

CREDITUR etiam peripneumonia, in abſceſſum merum deſinens, phthiſin progignere *. Quod utique perquam ra-

ro

* Vide Boerhaav. aphoriſm. 1203.

ro fieri exiſtimo. Si quidem, inciſis phthiſi peremptorum cadaveribus, abſceſſus merus ſine tuberculis raro aut nunquam viſus eſt. Quod tamen fieri poſſe, totus pulmonis lobus, ſine vel uno tuberculo in cadavere phthiſico diſſolutus, repertus, teſte ingenioſiſſimo viro praeceptore noſtro CULLENO, argumento eſt. Sed idem raro fieri, et cauſam quam poſui longe maxime communem et frequentem eſſe, omnia evincunt.

SIMILI modo ac inflammatio haemoptoe quoque agit. Quae, ſi pura eſt, multos annos recurrens, phthiſin non efficiet. Quam, ſolum cum tuberculis vel conjuncta vel haec faciendo, demum efficit.

CATARRHUS pertinax frequens poteſtas nocens eſt. Si quidem conſtans ſub eo irritatio ſanguinis praeter ſolitum ad pulmones abundantiam citat; id quod aucta muci ſecretio, a ſanguinis vicini copia pendens, et ejuſdem toties ſputum, oſtendunt. Haec eodem modo, ac duae noxae modo memoratae, agit. Et tuſſis,

ſan-

ſanguinis per pulmones tranſitui officiens, tanto magis ad effuſionem, in qua tubercula poſita ſunt, viam faciet.

JUDICIUM EVENTUS.

PHTHISIN pulmonalem funditus immedicabilem, neque renuente experientia, medici judicarunt. Neque tamen non principia morbi ſiſti et vita produci poſſunt. Itaque ſi non ſputum purulentum, nondum febris hectica, ſupervenerunt, et omnia adhuc lenia ſunt, perita medicamentorum et victus adminiſtratio, vitatuſque in ſex humanae ſalutis praeſidiis error, aegrotantem aliquamdiu ſuperſtitem ſervabunt.

CONTRA, ubi jam puris ſputum ſupervenit, jam febris hectica accenſa eſt, jam multum debilitatus homo eſt, et ſudores cum aliis malis notis profunduntur, ventum

tum ad extremum eſt, et mors inevitabilis.

MEDENDI RATIO.

Processum nunc eſt ad hujus diſputationis partem difficillimam; ſcilicet, ut quemadmodum is, qui ex toto ſervari non poteſt, in tempus reſervetur, oſtendere coner.

Supra, phthiſin in tuberculis conſiſtere, eaque in ſuppurationem euntia, et malum genus ulcerum gignentia, cauſam morbum continentem dare, oſtendere conatus ſum. Verum enimvero, cum hactenus neque tubercula ſolvendi, neque inde nata ulcera perſanandi, ulla ratio inventa ſit, ad nulla medendi conſilia cognitio cauſae ducit.

Dicat aliquis forſan, eodem modo pulmonum, ac aliorum locorum, tubercula e ſcrophula nata, ſananda prorſus eſſe,

esse. Quod utique fieri nequit, si quidem nihil, quod scrophulam paucorum, quibus phthisis fere continetur, mensium spatio, tollat, adhuc est repertum; ut igitur, si huic viae insisteretur, priusquam effectum optatum medicamenta praestarent, pereundum homini foret. Praeterque hoc, cum sola, quae aliquid adversus scrophulam possunt, aqua salem natura continens, et cortex peruvianus, sint, illa, ob stimulum haud exiguum, et quia tussim irritat, a scrophulae pulmonum curatione abest; hic, qui, ut in scrophula aliquando profuerit, tamen multo saepius frustra habet, in pulmonalibus tuberculis ideo adhiberi nequit; quia, antequam habitum phlogisticum, cui semper cortex nocet, tubercula jam accenderint, nunquam eorum certiores fieri possumus.

ALTERORUM vero tuberculorum, quae ex humore in cellulosum pulmonum corpus effuso pendent, etiam magis ignari; ideo

ideo ne curationem eorum propriam tentandi quidem copia nobis datur.

Pari fere ſucceſſu adverſus haec pulmonum ulcera balſamorum et aliorum vulnera conglutinantium, quae in ſummi corporis ulcera vulgo adhibentur, factum eſt periculum. Verum haec ipſa ubi parti ulceratae protinus admoventur, an proſint necne, ut ambigitur; ita dubium non eſt, quin exiguum eorum aliquid ore aſſumptum, ſanguinis fluento diffuſum, et toto corpore circumlatum, vix ullam ad ulcus opem perferre poſſit. Eadem valide noſtrum corpus ſtimulantia, ut habitum phlogiſticum accendendo, multum noxae ſint, neceſſe eſt.

Ob quas cauſas, eorum uſu medici nunc omnino deſtiterunt. Van Helmontius mercurium praecepit *, a quo cum potentiori, quam reliqua modo memorata,

* Humid. radical. p. 575.

rata, ſtimulo ſit, pariter abſtinendum eſt.

E ſupra igitur dictis, neque tubercula neque exulcerationem medicamentis vinci poſſe, neque ullam ſpem niſi in naturae viribus ſupereſſe, neque medico, niſi ut irritationi occurrat, ullam auxilii ferendi copiam dari, diſci clare poteſt. Qua quidem mente haec medendi conſilia ſuccurrunt:

Habitum phlogiſticum tollere;

Sanguinis impetum a pulmonibus avertere; et

Eundem in ſummum undique corpus dirigere;

Poſtremo, quorundam ſymptomatum vehementiam levare.

PRIMO conſilio nihil accommodatius, quam idonea victus et vivendi ratio eſt: Antiphlogiſtica quae dicitur ſola convenit. Item cum cura quicquid cor et arterias irritat, ne ſanguis ad pulmones e-

tiam magis cieatur, vitandum eſt. Sic ſtimulantium in numero, et maxime hoc in morbo pernicialis, calor eſt. Ac neque tutum frigus. Itaque ardores meridionalium regionum aeſtivi aeque phthiſicis, ac frigora ſeptentrionalium hyberna, nocent. Media igitur coeli temperies quaerenda. Nam, quod ad eam et nimium calorem ſeu ardores attinet, viginti vel triginta dierum ſpatio ſub iis in plus provehitur phthiſis, quam tribus vel quatuor menſibus, ubi modica temperies ſit. Porro, carnes, cum alcaleſcente natura ſint, multum quoque noſtra corpora ſtimulant. Quibus contrarii, fructus maturi, dummodo vires eos ferant, ante omnia conveniunt. Sed et his abſtinendum ſaepe neceſſario eſt, quia diarhoeam ſaepe augent, et, parmanente quamvis habitu phlogiſtico, vires prorſus frangunt. Ob quam cauſam, ab iis ad alentem magis victum, quam minimum ſtimuli poſſidentem, et quam facillime concoctricibus viribus, nunc perquam debilitatis, parentem, decurrere plerumque neceſſe

neceſſe habemus. Tale lac, omnium ſeculorum experientia, compertum eſt. Cujus e pluribus generibus humanum, mulieri ſanae et bene valenti detractum, caeteris praeponitur. Cui proximum aſininum, huic deinde caprinum, poſtremo vaccinum, eſt. Quorum nulli forſan butyraceum cedit ; quod fermentationis aliquantum perpeſſum, aciditatem quandam aegrotanti gratam, et quod caeteris omnibus acidis proprium eſt, vim ſedantem habentem, aeſtum febrilem et ſitim adlevabit. Id igitur, niſi ſi cui aegrotanti parum convenit, omnibus aliis anteponendum eſt. Multo plura de victus in hoc morbo regimine dici poſſent, ni alioquin de hac re dicendorum, ſermone ingenioſo nuper hic in lucem edito *, materia eſſet praerepta.

ALTERA habitum phlogiſticum imminuendi ratio, ſanguinis detractio eſt. Ea initio,

* Guliel. Logan tentam. med. inaug. de regim. phthiſicorum.

initio, et quoad inflammationis ſigna paulo magis urgent, non ſemel ſolum, ſed ſaepius, pro viribus, neceſſario fieri debet. Curandum tamen cavendumque eſt, ne, nimis ſanguinis detracto, et ſic aucta debilitate, fatum ultro properans impellatur. Contra quod ſatis cavebitur, ſi unciae quaternae poſt ſeptenos dies fuerint detractae, qua venam ſecandi mediocritate, non ſolum non creſcit debilitas, ſed et febris hectica levatur, et tubercula ſuppurari prohibentur. Eſtque haec in phthiſi adminiſtratio aeque, ac Celſiana tempora, vetuſta; qui, de phthiſi agens, " Si, inquit, nihil reliqua " proficiunt, ſanguis mittendus eſt, ſed " paulatim quotidieque pluribus diebus, " cum eo, ut caetera quoque eodem mo- " do ſerventur *." JOANNES PRINGELIUS eques, multo plus humoris vitalis detrahere non ſolum in hectica poſt tabem pulmonalem febre, verum etiam in orta e malae notae aliarum partium ulceribus, et

* De medicina. lib. 3. cap. 22.

et proſpere, non dubitavit *. Cujus utique conſilium, eo minus ſequendum videtur, quod is in militibus, caſtra colentibus, tantae rei periculum ſolum fecit, robuſtiori et laboribus exercitatiori hominum genere, quam privatim curare pleriſque medicis contingit.

SECUNDO medendi conſilio, ſcilicet ut ſanguis a pulmonibus avertatur, fonticuli et veſicatoria adaptantur.

FONTICULI prae caeteris in phthiſi magna fama celebrati antiquitus ſunt, quam neque recentiorum experientia detrectavit. PRINGELIUS idem, de quo ſupra eſt dictum, ſetaceum in latere intra efficaciſſima auxilia comperit †. Setacea, exiguum aliquid inflammationis, et auctum impetum in vaſis partis faciendo, agere videntur. Quo fit ut ſerum lympha coagulabili refertum, quod in pus deinde convertitur, effluat. Qua ratione ſanguinis a pulmonibus impetus avertitur;

* Pring. de morb caſtrenſi.

† Loco citato.

titur ; et habitus phlogiſticus, humoris detractione, lenitur. Circa biennium abhinc paupercula, quam ego vidi, poſt pleuritidem tuſſi ſicca, ſpirandi difficultate, magna debilitate, cavarum manuum pedumque caloribus inaequalibus, laborabat, et in ſiniſtrum tantummodo latus decumbere quibat. Monui ut ſetaceum in latere affecto poneretur. Quo facto, et humore affluere coepto, omnia remiſerunt, ac tandem ex toto prope, levi tantum tuſſi et poſt motum anhelationis aliquanto relicto, diſceſſerunt. Eadem poſtmodo ſetacei moleſtiae pertaeſa, nec eo opus opinata, id extraxit. Poſt quod omnia priſtina mala recruduerunt; ipſamque phthiſi e media ſublatam, accepi.

Simili ratione veſicatoria agunt. Quae partem ſtimulando, neque ad reliquum ut videtur corpus ſtimulum perferendo, ſerum ex illa effundunt, atque vaſorum vicinorum tenſionem ſic imminuunt, et perpetua facta impetum a pulmonibus avertunt, et habitum phlogiſticum adlevant.

Tertii

TERTII conſilii ſunt ex exercitationis generibus equo aut nave vehi, item vomere, et corpus rite tegi.

POSTQUAM jam in pulmones ſanguis citatius fertur, corporis omni labore fugito, tantummodo leviſſimus quiſque motus convenit. Itaque vectio in aequo caeteris fere geſtationibus anteponenda eſt; quia ſic liberi et frigidi aëris delectus habendi, eoque vaporis perſpirati auferendi, fit poteſtas. Quin et aër frigidus ſummi corporis vaſa ſtimulat, et, cum idoneo motu conjunctus, ad cutem ſanguinem allicit. De quo geſtationis genere magnus SYDENHAMUS loquens, "Quantumcunque," inquit. "exitialis "phthiſis et ſit et audiat, utpote qua in-"tereunt duo fere trientes eorum quos "morbi chronici jugulant; hoc tamen "ſancte aſſero, quod neque mercurius in "lue venerea, neque cortex peruvianus "in intermittentibus, efficaciores extent, "quam in phthiſi curanda exercitium "jam laudatum; modo aeger curet, ut

"linteamina

" linteamina probe fuerint arefacta, at-
" que etiam ut ſatis longa itinera emetia-
" tur *." Cujus utique in laudibus vir clariſſimus nimius certe fuit, cum adeo non ſemper et certo morbum tollat, ut quotidie fruſtra habere comperiatur. Nam, ſi ullum egregium auxilium equitatio promittit, id omne in longo itinere conſtat; dum tantum homo quotidie procedere contendit, quantum vires, ſed nihil ultra, ferant. Qui equo vehitur phthiſicus, plerumque tuſſis et haemoptoes magis expers, quam in cubiculo domi eſt, cum ſanguinem toto corpore citatum idem ad cutem citatior penſet.

VERUM cum haec terreſtris exercitatio parum conſtanter ſervari, ob tempeſtatis incommoda et alios caſus, poſſit, et conſtantia, non vis, ejus adjuvet; ideo huic lenis, perpetuus, noctuque et interdiu continuatus, motus praeſtat. Talis navigatio eſt. Quam multis laudibus antiquitus

* Opera univerſa.

tus elatam, intra paucos annos, vir gravis, GILCHRISTIUS, ex uſu eſſe compluribus experimentis oſtendit *. Quod ſi eadem quotidie quoque fallit, quid mirum, in morbo omnia auxilia ſuperante, eſt? Solam perſanat haemoptoen; ſed, et in tuberculis phthiſicis, vitam tamen producit. Cujus agendi ratio videtur, inter alia nauſeam, primum mare experientibus aſſuetam, et vomitum, excitare, quae ad cordis impetum in ſummum corpus dirigendum multum valent.

EMETICA, ſi ſola ratione judicandum foret, viderentur concuſſibus immodicis ſanguinem in pulmonibus adcumulando periculum minitari. Verum vir clarus, BRION ROBINSON, ea non tuta ſolum, ſed utilia eſſe etiam in haemoptoe, oſtendit †. Quod teſtimonium, navigandi tum maxime utilitas, cum nauſea et vomitus maxime commoventur, probat. Quod

* Vid. Navigationis in aegrotantibus uſum.

† Vid. obſervat. de virtutibus et agendi ratione medicamentorum, p. 146. &c.

ſi ſola tuberculi ſanatio in ſuppuratione circa id incidente, et ipſum per aſperam arteriam emoliente, conſtat, quod fieri certe poteſt, licet, qua ratione id certo perfici queat, incertum ſit, tamen uſum emeticorum, quae hujus rei ſpem aliquam oſtendunt, quodammodo commendat. Attamen, cum emetica et nocuiſſe, et mortem intuliſſe, teſtimonia non deſint, caute adhibenda ſunt. Ego puerum phthiſicum, annos quatuordecim natum, poſt vomitum, in haemoptoen primum implicitum, deinde intra paucos dies exſtinctum, ipſe vidi. Tutiſſima, et, ut mihi videtur, maxime efficax ventriculum ſolicitandi ratio eſt, emeticorum exiguum aliquid ita dare, ut effectus eorum vel intra nauſeam omnino ſubſiſtat, vel, ſi ad vomitum procedat, hunc quam leviſſimum moveat. Qua ratione, emetica data diuturniora effectu ſunt, vaſa extrema excitant, ſpaſmum ſolvunt, perſpirationem movent, ſanguinis circuitum toto corpore aequabiliorem reddunt, atque ideo pulmo-

nes

nes multum adlevant. Qua mente, tartarum emeticum reliquis ideo anteponitur, quia, ad hoc operis impetrandum, facilius adminiſtratu eſt. Tartari grani partem quartam ſemel et interpoſita ſemihora aut amplius iterum datam, nauſeam citra vomitum ſatis diu ſervare, conſtat.

INTER alias ſanguinis ad ſummum corpus dirigendi rationes, id veſte bene operire, et a frigore defendere, non omittendum eſt. Induſium laneum ei rei perquam accommodatur ; idque, quo magis madorem perſpiratum ebibat, quam ſaepiſſime mutari convenit.

POSTREMO, ad coeli Britannici viciſſitudines, adeo phthiſicis pernicioſas, devitandas, calidius et aequalius cum commodo petetur; quale Neapolitanum, Luſitanum, et Gallicum meridionale eſſe, multi ſunt experti. Ut ad

NOVISSIMUM tranſeatur conſilium ; ubi, poſt omnia de quibus relatum eſt auxilia, jam tubercula in ſuppurationem iverunt, et nihil aliud quod medicus agat reli-

quum eſt, niſi ut, quod vitae ſupereſt, quam quietiſſimum ducatur, tum graviſſimorum ſymptomatum ratio ſola habenda eſt.

Ergo, cum pulmones in veneni generandi ſtatu ſint, idque ut videtur abſorptum pro poteſtate nervos ſedante et horum vim delente agat, niſi quod, per leges quaſdam corporis cerebro reagente, febris hectica ſuſcitetur, priores medici, id venenum in putredine conſiſtere, et febrem putridam eſſe opinati, corticem Peruvianum * uſurparunt. Qui utique, in phthiſi periculoſus, ſiccus datus periculoſiſſimus eſt, caloremque, tuſſim, et dyſpnoeam adauget. Neque aliter dandus, niſi leviter infuſus videtur. Qua ſub forma, robur laborantis ſuſtentare, et febrem ſublevare, creditus eſt. Ad quem utique uſum praeſtandum, potiones acidulatae, lacteus et e genere plantarum paratus victus, item exiguae ſanguinis detractiones, plus multo valent.

Con-

* Vid. Morton. phthiſiolog. p. 197.

CONSTANS fere humoris purulenti et auctae muci ſecretionis irritatio aſſiduam prope tuſſim facit, factam ſervat. Hinc aſſidua ſaepe vigilia ; ut ad opium, quo minor partium ſenſibilitas fiat, ſaepe decurrendi ſit neceſſitas. Quod tamen, cum habitum phlogiſticum augere, et irritationis cauſa ipſum fieri, periclitetur, parcius et cautius utendum eſt.

EJUSDEM exiguum aliquid, ut et aſtringens lenior medicina, qualis terra japonica eſt, adverſus diarrhoeam neceſſaria ſunt. Nam, provecto morbo, magna corporis debilitas incidens, tantam canalis alimentarii irritabilitatem facit, ut vel leniſſima intus aſſumpta materia inteſtina motibus enormibus convellat. Eſtque haec, ut videtur, profuſae alvi origo. Quae eo magis, intra modum continenda eſt, quo magis, debilitatem augendo, immodica properans fatum rapit.

VOMITUS, qui per totum morbi curſum non defuerat, extremo tempore tantus ſaepe fit, ut ventriculus nihil retineat.

Ejuſdem

Ejuſdem cauſa ventriculi atonia eſſe videtur, quae, motus enormes et contrarios concitans, vomitum iſtum praeſtat. Cum igitur, in hoc miſero rerum ſtatu, nihil opis medicamenta adferant, ſolum experiendum auxilium eſt cibi quam maxime homini grati, ad vitam labantem, quantum fieri maxime poterit, tuendam, paululum ſubinde dare.

Supra dictum eſt, acceſſiones febriles ſudoribus terminari; qui, ubi modici magis ſunt, cum vim malorum frangant, non compeſcendi videntur. Cum autem provecti morbi temporibus, iidem, reſolutis undique ſummi corporis vaſis, ſupra modum profuſi, magnum languorem, et quandoque animae defectionum aliquantum, inferant, ad eos compeſcendos aqua calcis et elixir vitrioli dari, et in cubiculo perflato quam leviſſime tectus homo decumbere, poſtremo lecti linea veſtis, ſudoribus cito uſque madens, crebro mutari, debent.

FINIS.

BRITISH MUSEUM